



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De mauricij & Augustæ creatione. Caput XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGR. HISTORIAE

cubili pullulascere, & botros ferè innumerabiles & maturos ex ea dependere. Mater autem narrauit, terram tempore partus sui suaueolentem odorem, peregrinum, & alternis vicibus variatum ex se efflasse: atque saepe laruam, quam Græci *ἐμποισα* vocant, infantem de loco in locum mouisse, tanquam illum voraturam, minime tamen ei nocere posse. Itemque Symeones, qui propè Antiochiam in columna habitauit, vir ad res quasque prudenter ac studiosè exequendas aptissimus, & omnibus diuinis virtutibus eximie ornatus, multa cum verbis, tum factis expressit, quæ Mauricium imperatorem fore plane iudicarunt. De quo Symeone, quæ sunt ad commemorandum accommodata, proximus liber explicabit.

De Mauricij & Augustæ creatione

Caput XXII.

CVM autem Tiberius iam propè ad extremum spiritum edendum veniret, Mauricio, qui ad imperium gubernandum iam elatus fuit, filiam Augustam collocauit in matrimonium, & imperium pro dote tribuit: qui tametsi ad exiguum tempus in administrando impetio gratiam propagauit, tamen pro rebus præclare à se gestis (quas quidem hoc sermone commode complecti non possumus) tum immortalis nominis sui memoriam, tum optimam reip. hæreditatem, Mauricium nempe, quem imperatorem declarauerat, reip. reliquit: qui quæ etiam sua ipsius nomina illis impertiuit: siquidem Mauricium, Tiberium, Augustam, Constantinam appellauit. Quæ verò res ab illis gestæ sint, proximus liber, Dei iuuante gratia, perdocebit.

De temporis, à Iustino Iuniore vsque ad Mauricium, supputatione.

Caput XXIII.

VT autem ordinem temporum accuratissimè completamur, intelligendum est, Iustinum Iuniorem per se solum ad annos duodecim & menses decem cum dimidio regnasse, atque vnà cum Tiberio ad annos tres & vndecim menses, totumque tempus regni sui annos sedecim &